



# **Disputatio juridica inauguralis de praelatione et concursu creditorum**

<https://hdl.handle.net/1874/343318>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
PRÆLATIONE ET CONCURSU  
CREDITORUM.

QUAM  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

**M. GERARDI de VRIES,**

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatûs Academici consensu, Nobilissimæque  
Facultatis JURIDICÆ Decretò,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,

*Publicè tueri conabitur*

**GUILIELMUS VAN SCHAICK, ULTRAJECT.**

*Ad diem 5. Aprilis horâ locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clō lōc xci.

*Spectatissimo, Honoratissimoque*  
**VIRO,**

**D. GYSBERTO**

**VAN**

**BYLEVELT,**

Avunculo suo magno, per-  
petuum venerando, & co-  
lendo

*Hanc Disputationem Inaugu-  
ralem, ut & se ipsum  
dedicat*

**GUILIELMUS van SCHAICK.**

*Auctor.*



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

DE

PRÆLATIONE ET CONCUR-  
SU CREDITORUM.



Uspicaturus materiam de prælatione & concursu creditorum, ante omnia inspiciendum esse existimo, qui sint creditores? creditores sunt, quibus aliquid ex quacunque causâ debetur, *l. 10. 11. 12. V. S.* etiam ex delicto, quin imo & ex causâ populari post litem contestatam, *d. l. 12.* Creditores sunt hypothecarii, vel chirographarii:

hypothecarii sunt, qui rem sive conventionem, sive lege habent obligatam. Chirographarii proprie illi dicuntur, quibus cautum est chirographo; verum latius sumpto vocabulo, omnes illi intelliguntur, qui tantum actionem personalem possunt intentare. *l. ult. C. qui bon. ced. poss. l. un. C. et. ob. chirog. pec. pign. ten.* Utrique sunt vel simplices, vel privilegiati. His itaque præmissis ordinem creditorum, scopum mihi propositum assequi conabor.

§. 1. Inter creditores, hypothecarii præferuntur chirographariis, sive aliquo, sive nullo privilegio munitis. *l. 3. 7. 9. C. qui pot. in pign. l. 6. C. de bon. auct. jud. poss.* ratio est, quia habent jus in re, *l. 3. §. 3. ff. ad. exh.* quo rem vindicare, retinere, vendere non prohibentur: cum chirographarii (quantumvis privilegiati) si distractis rebus hypothecatis nihil in bonis debitoris superfit, inani actione eludantur.



dantur. Quod ipsum non obscure insinuat Imp. d. l. 9. in quâ creditores, qui pignora habent, omnibus privilegiis, quæ personalibus actionibus competunt, præferendos esse asserere non dubitat. Non obstat, l. 1. §. 3. D. de separat. nam impetratâ bonorum separatione, hypothecæ, quas heres in bonis defuncti constituit, redduntur inefficaces. Vide Bachov. tract. de pign. & hypoth. lib. 4. tit. 1. n. 1.

§. 2. Patitur tamen superior regula exceptionem, 1. in illis, qui ad pignoris subhastrationem credunt: sumptus etenim ad pignoris subhastrationem necessarii, ut puta pro capiendis, sequestrandis, proscribendis, & vendendis pignoribus, item pro decreti interpositione, & si qui similes, omne creditum præcedunt, ut docet Papin. in l. 8. ff. de pos. & Gajus in l. 72. ff. ad L. falc. Curator bonorum sumptus rerum conservandarum causâ factos, ante omnes creditores deducit, arg. l. ult. §. 9. C. de jure delib. Vide Carpzov. decis. ill. 55. n. 15. Maub. de auct. lib. 1. cap. 19. n. 2. Fallit 2. in creditoribus funerariis; hi enim, quamvis personalem tantum habeant actionem, privilegio omnibus etiam hypothecariis præponuntur: hinc pulchrè Marcianus in l. 45. ff. de relig. & sumpt. fun.: *impensa*, inquit, *funeris semper ex hereditate deducitur, quæ etiam omne creduum solet præcedere, cum bona solvendo non sunt.* Ratio juris singularis in religione consistit: cujus intuitu hoc privilegium actioni funerariæ prætor inesse voluit, ne insepulta defunctorum corpora jacerent; siquidem summa est ratio, quæ pro religione facit, teste Papin. in l. 43. ff. de relig. & sumpt. fun. Quod tacitæ hypothecæ præferantur, unanimi fere omnium Interpretum sententiâ receptum est: sed quæri solet, an creditores funerarii præferantur etiam habentibus hypothecam expressam? Quod intrepidè affirmo; & probatur 1. ex generalitate d. l. 45. 2. ex l. 14 §. 1. D. de relig. & sumpt. fun. quoniam Ulpianus illic agens de colono, ex invecis illatis eum funerandum esse ex sententiâ Pomponii respondet, & si quid superfluum remanserit, hoc pro debitâ pensione teneri: constat.



constat autem invec̄ta illata in prædium rusticum non nisi expressâ conventionẽ obligari. *l. 4. ff. in quib. caus. pign. vel hypoth. tacit. contr.* & hanc sententiam defendunt *Baldwin. tract. de pign. cap. 6. Giph. in l. ult. C. qui pot. in pign. bach. de pign. lib. 4. cap. 11. n. 3. Math. de auct. lib. 1. cap. 19. n. 7. Dissentit Neguz. p. 5. M. 2. n. 28. & seqq.*

§. 3. Inter hypothecarios præferuntur illi, qui hypothecam habent, & privilegium, illis, qui hypothecam tantum. *l. 5. ff. qui pot. in pign.* Inter eos autem, quos & hypotheca & privilegium defendunt, primum sibi locum fiscus affert agens ex causâ primipilari, seu administratæ annonæ militaris, *l. 3. C. de primip.* Primipilus olim dictus fuit primus cujusque legionis Centurio: & postea ille dici cepit primipilus, qui annonam militarem administrabat, ita notant *Alc. ad tit. C. de primip. Cujac. ad l. 3. C. de Cohortal. Don. ad l. 1. C. de condict. ex lege. 2. Exigens tributa & stipendia, l. 1. C. si propt. publ. pensuat. in quâ rescriptum: Venditionem ob tributorum cessationem factam revocari non oportet, neque priore domino pretium offerente, neque creditore ejus jura hypotheca sive pignoris prætendente. Potior est enim causa tributorum, quibus priore loco omnia bona cessantis obligata sunt. Neque obstant. l. 8. ff. qui pot. in pign. l. 28. ff. Privil. fisci. & l. 2. C. eod. quia objectæ leges intelligendæ sunt de fisco, habente debitores suos obligatos ex contractu. Mores nostri illas pensitationes, quæ agrorum possessoribus ad conservandos aggeres Fluminis Leccæ imponuntur, omnibus aliis creditoribus præferunt: & vulgo vocantur *Leckendijckis-gelden.* & ita cautum edicto Illustrium Ordinum publicato xvii. Julii, anno c̄lo Io cxxxviii. inscripto; *ordze raeckende de p̄sente van de Staten penningen.* Quod vero ad tributa & stipendia attinet; in eorum locum successerunt illa, quæ vulgo *Ourschilt-gelt / Schellingh-gelt / Dups-gelt /* & aliis nominibus appellantur, suntque onera realia, nec aliter alios creditores hypothecarios præcedunt, quamsi prima illorum indicio aliorum hypothecis sit prior. Onera personalia hypo-*



pothecis non præferuntur, verum Illustres Ordines inter chirographarios tantum creditores illis privilegium dederunt.

§. 4. Primum post fiscum locum sibi vindicat ille, qui ad militiam emendam credidit, sibi instrumento cavit de hypothecâ, & ut potior in eâ militiâ sit. *Nov. 97. cap. 4.*

§. 5. Tertius locus patet mulieri dotem suam repetenti, *d. Nov. cap. 4.* eâ namque tantum fiscus, & creditor ad militiam potiores sunt, aliis omnibus hypothecariis, etiam anterioris temporis privilegio vallatis præfertur, *l. fin. C. qui pot. in pign.* De hypothecis tacitis non est dubium: verum acriter disputatur inter interpretes, an mulier creditoribus expressâ conventionem & temporis prærogativâ munitis anteponat? Non desunt, qui negativam defendunt: 1. quia hypotheca expressâ non descendit ex lege, sed ex provisione, & diligentia personæ, cui lex non solet jus quæsitum auferre, cum non auferat, quod non dedit. Probant 2. *ex l. 2. C. privil. fisci.* 3. *Ex d. l. fin.* in quâ verbum, *privilegii*, pro tacitâ hypothecâ positum arbitrantur. Hanc sequuntur *Gomez. ad l. 50. Tauri n. 39. Covarr. 1. var. resol. cap. 7. n. 1. & seqq. Don. de pign. cap. qui pot. in pign.* Affirmativa tamen videtur verior, & probabilior: quia in *d. l. fin. §. 1.* dicitur eam habere potiora jura contra omnes mariti creditores. 2. Probatur ex principio *d. l. fin.* in quo Justinianus prolixè causam mulierum agit, ut dubitari non possit, quin voluerit prolixissimè eis esse consultum. 3. *Ex d. Nov. 97. cap. 3.* in quo mulier præfertur ei, qui credidit in refectionem rei, qui præfertur expressis, ergo & mulier. Hanc sententiam recte tenent *Cujac. ad d. l. ult. Barbosa ad l. 1. p. 6. n. 4. & seqq. solut. matrim. Zoësius ad tit. ff. qui pot. in pign. n. 18.* Ratio hujus privilegii in favore dotium consistit, *l. 1. ff. solut. matrim.* Aliam rationem in *d. l. ult. §. 1.* Assignat Justinianus, dum igne muliebri totus accensus in hæc verba prorumpit: *quis enim earum non misereatur propter obsequia,*  
*qua*



qua maritis præstant, propter partus periculum, & ipsam liberorum procreationem, pro quibus multa nostris legibus inventa sunt privilegia? quæ an sit huic privilegio adæquata, æquus lector judicet.

§. 6. Quartum locum obtinent illi, qui in refectioem insulæ seu ædificii crediderunt, habent enim hypothecam cum privilegio, *l. 1. ff. in quibus caus. pign. vel hypotheca tac. juncta. l. 5. 6. ff. qui pot. in pign. & nov. 97. cap. 3.* Huic quarto ordini sunt adscribendi omnes, qui in reficiendam, aut armandam navem, in rem aliquam emendam, conservandam crediderunt, & specialiter de hypothecâ pacti sunt, *d. l. 5. & 6. l. 7. C. qui pot. in pign. l. 17. C. pign. & hypoth. tacito eum pignore non adjuvantur, quamvis non defint, qui tacitam hypothecam eis tribuunt, qui in navem crediderunt reficiendam, teste Neguz. p. 2. m. 4. n. 162. casu 16. & ita sentit covarr. 1. resol. 7. n. 3. post princ. non tamen satis accurate, cum quidem de eorum privilegio inter chirographarios, nusquam de Hypothecâ tacitâ legamus, *l. 26. & 34. ff. reb. aut. jud. poss.* Quarto ordini adhuc adnumerantur pupilli, quorum pecuniâ res emptæ sunt, *l. 7. ff. qui pot. in pign.* Qui crediderunt in cibaria nautarum, sine quibus navis salva esse non poterat, *l. 6. D. qui pot. in pign.* Qui in merces sibi obligatas, ut salvæ essent, vel ut naulum exsolveretur, crediderunt, *d. l. 6. §. 1.* Annumerant interpretes & illos, quorum pecuniâ quis est redemptus ab hostibus; & famulos, opifices &c. in mercede promissâ. Si inter hos oriatur contentio, quid statuendum? habebit locum vulgata regula: privilegiatus adversus æque privilegiatum non utitur suo privilegio: potior itaque tunc erit jure, qui prior tempore; *arg. l. 7. ff. qui pot. in pign. l. fin. §. 1. vers. exceptis. C. qui pot. in pign. Nov. 91. cap. 1.* An in privilegiis ita habeatur, ratio temporis, ut anterior privilegiatus præferatur posteriori etiam magis privilegiato? minimè, *arg. l. 32. ff. reb. aut. jud. poss.* in quâ ita Paulus Jctus: *privilegia inquit, non ex tempore asstantur, sed ex causâ; & si ejusdem titulâ**



*tituli fuerunt, concurrunt, licet diversitates temporis in his fuerint.*  
 Hæc de hypothecariis privilegiatis sufficiant; nunc in hypothecariis simplicibus quid statuendum, videndum est.

§. 7. Summa eorum continetur hoc juris axiomate: qui prior est tempore, potior est jure, *l. 8. io. ii. D. qui pot. in pign.* ratio hujus axiomatis est, quia per pignus creditori jus in re acquiritur; ut necesse sit præventioni esse locum, cum nemo possit jus alicui quæsitum reddere infirmius, quod fieret, si debitori licitum foret, priori posteriore creditori præferre. In tempore autem, ex quo prioritas æstimatur, non mensum tantum & dierum, verum & horarum, quin imo & momentorum ratio computanda est: cum enim supra allegatis textibus simpliciter fiat mentio temporis, ergo vel momento prior potior est; quandoquidem & momentum temporis esse tempus nemo sanæ mentis ausit ire inficias. Ita tenent *Gail. 2. obs. 25. in princ. bach. tract. de pign. 3. cap. 3. n. 3.* Dissent. *bottom. tract. de pign. cap. 4. Cujac. ad lib. 29. edict. pauli in l. 20. C. pign. act.* moventur præcipue *l. 16. §. 8. D. pign. & hypoth.* Verum in *d. l.* non agitur de jure prælationis, sed solum quæritur, si duo simul vel separatim pignus acceperint, quemadmodum agant, an intotum, an pro parte? Porro quæritur, quis sit dicendus prior, an qui prior de pignore convenit, an cui prius pignus traditum est? Resp. qui prior de pignore convenit, *l. 11. & l. 12. §. ult. ff. qui pot. in pign.* ratio est, quia pignus per nudam conventionem constituitur, & afficit rem, sequitur autem onus rei ipsam rem, juxta *Pompon. in l. 67. ff. contr. empt. nec obstat l. 15. C. rei vind.* nam alia est ratio emptionis, alia oppignorationis; siquidem in hæc solâ conventio rubuit jus reale, in illâ tantum transfertur dominium traditione, aut usu capiendi conditio. Quid si quis in diem certum convenerit de pignore, & ante diem existentem eadem res purè alteri a debitore obligata est, uter præferendus? Qui in diem de pignore convenit, *l. 12. §. 2. ff. qui pot. in pign.* ratio est, quia dies non impedit obligationem nasci, fed



sed tantum ut actio differatur efficit. Idem respondet Africanus in *l. 9. princ. ff. qui pot. in pign.* Quod dictum de obligatione in diem, idem multo magis obtinet in conditione: etenim si quis sub conditione a debitore suo accepit pignus, in eâ causâ debitor constituitur, ut invito creditore pignus solvi non possit, cum conditio existens retrahatur ad initium contractus, *l. 11. §. 1. D. qui pot. in pign.* Dicta vera sunt, quatenus conditio talis est, quæ invito debitore impleri potest, & parere obligationem, extra potestatem scilicet debitoris constituta, *l. 9. §. 1. & 2. l. 1. princ. ff. qui pot. in pign.* Secus si conditio ex voluntate debitoris pendeat, penes quem est, an existat an non? an obligetur, an non? etenim si sub tali conditione contractum, & pignus acceptum est; secundus, qui hypothecam accepit, potior est eo, qui sub hujusmodi conditione in arbitrium debitoris collatâ pactus est, *d. l. 9. §. 1. l. 1. §. 1. l. 11. pr. & §. 2. ff. qui pot. in pign. l. pen. ff. qua res pign. oblig. poss.* Ex superioribus facile colligendum est: quid sit statuendum, si primus post secundum rursus crediderit sub iisdem pignoribus? & hoc casu in primo credito præferendus, in altero postponendus erit secundo. Et ita marcian. respond. in *l. 12. §. 3. ff. qui pot. in pign. si idem*, inquit, *bis, id est ante secundum, & post eum crediderit, in priore pecuniâ potior est secundo, in posteriore tertius est.* Sed quid si primus creditor utramque summam novatione factâ in unam contrahat? Adhuc idem respondendum, *d. l. 12. §. 5.* Obstare videtur *l. 18. ff. de novat.* in quâ Ictus Paulus: *novatione legitime factâ, liberantur hypotheca, & pignus:* ut jus prioritatis amississe censendus sit: verum suadet æquitas, ut novatione factâ, & repetitis iisdem pignoribus, prior creditor jus prælationis retineat, cum in locum suum sibi ipsi videatur succedere. *d. l. 12. §. 5. l. 3. eod.* quod tamen quoad alteram summam cum injuriâ creditoris secundi non procedit. Hinc si secundus creditor jus suum velit confirmare, & re totâ potior esse primo, non tenetur priori creditori omne creditum offerre, sed tantum illud, quod priori loco



creditum est. *l. 20. D. qui pot. in pign.* Prioritas itaque temporis non ex traditione, sed ex nudâ conventionem æstimanda est: quod obtinet, etiamsi duo diversis temporibus à non domino bonâ fine de pignore convenerint, *l. 14. ff. qui pot. in pign.* ratio hujus est in *l. 18. ff. de pign.* in qua ita Paulus: *si ab eo, qui publicianâ uti potuit, quia dominium non habet, pignori accipi: sic tuetur me per servianam prætor, quemadmodum debitorem per publicianam.* Fallit hoc si duo a diversis non dominis pignori rem acceperint; tunc enim non qui prior convenit, sed potior est possessor. *d. l. 14.* secundum jus nostrum municipale res immobiles solâ conventionem non afficiuntur, sed nummò quadragesimo soluto, hypothecæ constituuntur coram iudice loci, in quo res sitæ sunt. *Math. de Auct. l. 1. c. 19. n. 77.*

§. 8. Porro ut ad axioma propositum redeam, in quò pignore locum habeat, inquirendum. Habere autem locum in pignore conventionali expresso non venit dubitandum, cum id abunde constet ex *l. 11. pr. ff. qui pot. in pign.* disputatur, an obtineat in pignore tacito? quod audacter affirmandum: etenim cum nusquam hac in parte lex distinguat, temeritatis profecto non levem notam incurrunt, qui ausi sunt defendere, minus potenter in hypothecâ inducendâ operari legem, quam conventionem. Ecquid adhuc hæremus? cum ipse Imp. in *l. 6. §. 2. C. secund. nupt.* liberis tacitam hypothecam habentibus ante omnes creditores posteriores voluerit dare prælationem. Vide *Zoes. ad tit. D. qui pot. in pign. n. 3. Neguz. p. 5. m. 2. n. 10. ampliat. 14. Math. de auct. 1. cap. 19. n. 59.* Adhæc in pignore judiciali locum habere certum est, *l. 10. ff. qui pot. in pign.* modo tamen sententia valida sit, & pignus captum ex causâ iudicati, & auctoritate ejus, qui jubere potuit. *d. l. 10.* An locum habeat in prætorio? Hæc quaestio distinctione terminanda est: aut enim illi, qui pignus prætorium obtinuerunt, ejusdem sunt tituli; aut diversi: si diversi sint tituli, ut puta ex contractu & testamento, prærogativa temporis inter eos servabitur. *Neguz. p. 3. m. n. 10. vers.*



*vers. restringitur.* Si vero ejusdem sunt tituli; alter altero ex tempore non erit potior, *l. 5. §. 3. ff. ut in poss. legat.* ratio est, quia ex illo pignore non transit possessio, sed nuda tantum detentio & custodia; & id circo tantum rei servandæ causâ concedi dicitur, *l. 3. §. 5. C. ut in poss. legat.* & si unus illorum in possessione sit, non tantum sibi, sed & aliis possidet; si nempe ex causâ contractus missus sit in omnia bona, *l. 12. ff. reb. auct. jud. poss.* quia judicis decretum non tam ex personâ petentis, quam in rem intelligitur interpositum, *d. l. 12.* inter legatarios autem unus quidem non possidet cæteris, *l. 5. §. 2. ff. ut in poss. legat.* cum cæteri possint legatum repudiare, imò nisi petant mitti, repudiare præsumuntur: ejus tamen possessio prior cæteris postea missis non obest. Dixi supra, *in omnia bona*, nam si quis mittatur in possessionem ædium ruinosarum causâ damni infecti, is aliis non possidet, *l. 15. §. 15. ff. damn. inf.* quoniam his, quibus vicini ædes damnantur, nihil debetur, antequam de damno infecto sibi caveri postularunt. Duplici itaque sensu verum est, prætorium pignus inter hos, qui sunt ejusdem tituli, non parere ex tempore prærogativam: primo quatenus unius missio, scilicet in rem facta, aliis prodest *d. l. 12. l. ult. C. bon. auct. jud. poss.* Secundo quatenus unius missio licet non profit, aliis tamen non obest, *d. l. 5. §. 2. bach. tract. de pign. 4. tit. 7. n. 5.* §. 6. Obstat huic sententiæ, *l. 2. §. 3. C. qui pot. in pign.* Sed in dictâ *l. 2.* non agitur de ejusdem, sed diversi juris creditoribus; & tunc potest ex tempore præferri. In *d. l. 3.* agitur de judiciali, non prætorio pignore.

§. 9. Prior itaque tempore, potior est jure: quod verum non tantum si specialis hypotheca certet cum speciali, aut generalis cum generali; sed etiam si generalis cum speciali. Unde si primo omnia bona obligaverim, deinde secundo specialiter hanc aut illam rem; primus etiam in hac aut illâ re præferetur secundo, quamvis ex aliis ipsi satisfieri possit, *l. 2. ff. qui pot. in pign. l. 6. C. eod.* ratio est, quia per generalem hypothecam res singulæ non minus afficiuntur, ac si earum specialiter



cialiter mentio facta fuisset; ad quod etiam respexisse videtur Gajus in *l. 147. R. 7.* in qua respondet, semper specialia generalibus inesse. Huic Thesi equidem contradicere videtur, *l. 2. C. pign. & hypoth.* Verum notandum in *d. l. 2.* generalem & specialem hypothecam eidem datam fuisse, quo attento, generalis hypotheca videtur esse quasi conditionata, & subsidiaria, si pecunia ex rebus specialiter obligatis salva esse possit. Minus obstat *l. 7. §. 1. D. qui pot. in pign.* Nam in *d. §. 1.* generalis & specialis hypotheca eodem tempore constitutæ videntur, & verosimiliter in eodem instrumento, ideoque fit concursus. Duas hic exceptiones licet observare: prima est, si primo generaliter omnia bona obligaverim, postea secundo specialiter rem aliquam, quæ sub hypothecâ generali non continetur; secundus enim in re illâ potior erit: neque obstat, quod sub generali hypothecâ contineantur omnia bona etiam futura, *l. fin. C. qua res pign. obl. poss.* cum semper excipiantur illa, quæ debitor non obligasset, si de illis in specie fuisset rogatus: qualia sunt in *l. 6. 7. 8. ff. pign. & hypoth.* Altera exceptio est, si quis rem quamdam vendens pactus sit ab emente, ut donec pretium rei solvatur, res pignoris oneri subjaceat, venditor ille potior est etiam generalem anteriorem hypothecam habentibus, *l. 2. ff. reb. eor. qui sub.* ratio est, quod cum dominio pignus traditum sit, *d. l. 2.* & venditor non alias rem alienasset, nisi sub hoc pacto *l. ult. C. pact. inter empt. & vend.* Neque obstat, quod res ante traditionem, utpote necdum in dominio existens emptoris, non potuerit ab eo obligari, (res enim aliena pignori dari non potest) cum isto tantum tempore obligetur, quo dominium ad emptorem transierit. Ut in effectu sit pignus conditionaliter contractum, quomodo contrahi posse docet African. in *l. 9. §. 1. ff. qui pot. in pign.* & ita *Neguz. p. 4. n. 33. & seqq. Zoesius ad tit. ff. qui pot. in pign. n. 11.*

§. 10. Illud, quod hætenus dictum est de prioritare temporis, variis casibus limitandum est: fallit enim supra positum axioma: primo, si priori oppignoratio facta sit in-

stru-



strumento privato, posterior autem habeat instrumentum publicum: tunc enim posterior est potior. *l. 11. §. auct. seqq. C. qui pot. in pign.* nisi tamen prioris instrumentum privatum trium testium subscriptione munitum sit, quia illud publico æqu paratur *d. l. 11. §. auct. seqq.* Hoc tamen jure nostro principali neque in mobilibus, neque in immobilibus observatur: non in mobilibus, quia mobilia non habent sequelam. Non in immobilibus, quia immobilia jure pignoris non afficiuntur, nisi nummo quadragesimo soluto, coram judice ejus loci, ubi sita sunt. *Edict. Car. 5. An. 1529. Zuiph. 18. §. 6. Math. de auct. 1. cap. 19. n. 77.* Ex dictis sequitur, quod moribus nostris in mobilibus non sit præferendus, qui primo pactus est de pignore, sed ille, qui ea ex voluntate debitoris tenet, & possidet, modo id non sit factum in fraudem creditorum *Math. d. cap. n. 74.* Fallit secundo in fisco quoad bona futura: nam si titio obligaverim omnia mea bona, deinde cum fisco contraho, in rebus postea quæsitus fisco præferendus est, ut constat ex *Ulpiano l. 28. ff. de jur. fisci*, in quâ respondet: *si qui mihi obligaverat, quæ habet, habiturusque esset, cum fisco contraxerit, sciendum est, in re postea quæsitâ fiscum potiore esse debere.* Huic tamen responso Ulpiani e diametro adversari videtur responsum Scævolæ in *l. fin. D. qui pot. in pig.* ubi Sejam etiam in bonis postea quæsitis fisco præfert. De conciliandis his Jctis multum laboratur. Varias variorum Interpretum conjecturas, & conciliationes congeffit *Math. de auct. 1. cap. 19. n. 81. & 82.* ac tandem rejectis omnibus, Jctos dissensisse concludit *n. 83.* Verum distinguendo inter bona acquisita post primam obligationem, & acquisita post secundam: apparens hæc pugna conciliari poterit. In bonis quæsitis post primam obligationem præfertur privatus juxta Scævolam *d. l. ult.* in quæsitis post secundam obligationem potior est fisco juxta Ulp. in *d. l. 28.* quod etiam satis indicant ultima verba: *prevenit enim causam pignoris fisco: cum pignoris causam dici nequeat prævenisse, antequam contraxit.* Et ita conciliant *Cujac. 10.*



*obf. 22. Hott. in epit. D. qui pot. in pign. n. 6. & 7.* Fallit tertio, sed ad tempus tantum; si scilicet prior rem neget fuisse pignorantis, posterior autem illud probaverit; quo casu prior tenetur possessionem in posteriorem transferre & possessione translata, si credat expedire, jus suum prælationis proponere. *Auth. nem possessor C. qui pot. in pign. nov. 18. cap. 10.* Quod procul dubio in pœnam mendacii jura statuerunt; cuius fere in omnibus juris articulis pœnæ sunt pendendæ ut colligere licet ex *l. ult. ff. rei vind. §. ult. inst. de obl. qua q. ex omni. l. 10. §. 1. ff. fidej. Auth. contra qui propria C. non num. pec.* Fallit quarto: si debitor consentiente creditore primo idem pignus secundo obligaverit; quo casu secundus potior erit primo, si nimirum eo animo primus consenserit secundæ obligationi, ut secundus in locum suum ascenderet. *l. 12. §. 4. ff. qui pot. in pign.* Sed si primus hoc egit, ut jus suum pignoris remitteret, secundus solus erit. *d. l. 12. §. 4. Math. de aut. 1. cap. 19. n. 85.* Fallit quinto, si Hypothecarius tempore posterior, solverit priori debitum. Neque hic aliquâ pactione opus est, sive cum debitore, sive cum creditore incundâ: quoniam ipso jure posterior hypothecarius solvens priori in ejus locum succedit. *l. 1. §. 8. 10. C. qui pot. in pign. l. 11. §. fin. D. eod. l. 22. C. pign. & hypoth.* Magnum tamen discrimen hic observare licet inter secundum creditorem, & tertium aut ulteriorem: si enim secundus creditor solverit primo, in utroque debito incipit esse prior, *l. 22. C. pign.* Et clarius Marcianus in *l. 12. §. 6. ff. qui pot. in pign.* respondet, quod res teneatur secundo creditori etiam invito debitore, tam in suum debitum, quam primi creditoris, & in usuras suas, & quas primo creditori solvit. Non tamen Usurarum, quas primo creditori solvit, usuras consequetur; ratio est, quia per secundum creditorem non debet deterior fieri conditio debitoris, qui primo creditori usurarum usuras non solvisset. Quod si tertius, aut ulterior primo solverit pecuniam, is tantum potior efficietur in eam summam, quam exsolvit. *l. 16. ff. qui pot. in pign.*



*pign.* Verum hæc, ita si primus creditor oblatam summam recipiat: Quid si recuset? poterit eam posterior creditor ob-  
signare, atque deponere: quo factò, perinde ac si soluta  
esset, cogitur primus dimittere pignus. *l. 1. C. qui pot. in pign.*  
*l. 11. §. fin. ff. eod.*

§. 11. Hactenus de hypothecariis; restat videndum, quid  
juris sit inter chirographarios? & quemadmodum de hypo-  
thecariis dictum est §. 3.; ita etiam inter chirographarios  
privilegiati præferuntur simplicibus, nullâ ratione temporis  
attentâ. *l. 32. ff. reb. aut. jud. poss.* Inter eos vel maximè privi-  
legiati sunt illi, qui crediderunt ad pignoris subhastationem,  
& creditores funerarii, de quibus actum §. 2. Post illos  
privilegiati sunt fiscus ex contractu *l. 34. D. reb. aut. jud. poss.*  
Secundo, pupilli & minores in bonis administratorum suo-  
rum, *l. 19. & seqq. ff. eod.* Tertio, Respublica *l. 37. 38. §. 1. ff.*  
*d. tit.* quarto, qui credidit ad comparandam vel conservan-  
dam rem aliquam: & non cavit sibi specialiter de hypathe-  
câ. *l. 17. C. pign. & hypoth. l. 26. 34. ff. de reb. aut. jud. poss.*  
Quinto ille, qui deposuit pecuniam apud nummularium, si  
non extet, ut vindicari nequeat. *l. 24. §. 2. ff. d. tit.* Secus si  
fœnori collocaverit. *d. l. 24. §. 2.* His sexto quidam addunt  
artifices, famulos, & ancillas, & generaliter omnes, qui  
mercedes operarum suarum persequuntur. *Guidel. de jur. nov.*  
*4. cap. ult.* Quinam inter hos præferantur, non est facilè de-  
terminatu. Reliquos tamen antevertere videtur fiscus per  
*l. 34. ff. reb. aut. jud. poss. Paulus 5. sentent. 12. §. privilegium.* &  
ibi *Cujac. in notis.* omnibus postponendus deponens, *d. l. 24.*  
*§. 2.* In reliquis, cum nominatim nihil jure cautum legi-  
mus, videtur observandum axioma: Privilegiatus adversus  
privilegiatum non utitur suo privilegio, ac proinde concur-  
rent. *l. 32. ff. reb. aut. jud. poss.*

§. 12. Dimissis privilegiatis supersunt simplices: hi nullâ  
temporis prærogativâ attentâ, concurrunt, & pecunias ex  
bonis debitoris redactas habitâ proportione Geometricâ par-  
tiuntur. *l. 6. C. bon. aut. jud. poss.* Excipe creditorem ex  
causâ



causâ lucrativâ agentem; hic enim non improbabiliter omnibus chirographariis ex causâ onerosâ postponendus esse iudicatur: cum duobus certantibus, altero de damno evitando, altero de lucro persequendo, priora sint jura ad favendum fugientibus damnum, quam quærentibus lucrum. *l. 4. §. 1. ff. R. 7.* Excipitur secundo ille, qui privilegiato solvit: is etenim privilegiato succedit. *l. 2. ff. qui bon. ced. poss. l. 24. §. 3. ff. de reb. auct. jud. poss.* Quod verum etiam si chirographarius hypothecario solverit, quia & in illius locum succedit; modo tamen hoc egerit, ut hypotheca in se transferretur. *l. 1. C. his, qui in prior. cred. loc. succ. l. 3. ff. qua res pign. obl. poss. l. 12. §. 8. D. qui pot. in pign.* Tertio excipitur is, qui sibi vigilavit, qui etiam aliis præfertur: sibi vigilasse dicendus est, primo ille, qui ex bonis debitoris condemnati pignora capi curavit, cum ex chirographario fiat hypothecarius, ideoque jure hypothecæ illis præfertur, *l. 3. C. qui pot. in pign. l. 1. C. si in caus. judic. pign. cap. sit.* Secundo qui a debitore pecuniam debitam, bonâ tamen fide, non per collusionem aut gratificationem exegit, quam reliquis chirographariis communicare non cogitur, quamvis sciverit non esse solvendo debitorem. *l. 6. §. 7. l. 24. ff. qua in fraud. cred. l. 6. §. 2. bon. auct. jud. poss.* Quæritur, an gratificetur debitor, qui instantibus cæteris creditoribus uni, non quidem solvit, sed hypothecam constituit? *aff. Ulp. in l. 10. §. 13. ff. qua in fraud. cred.* & hanc sententiam in Frisîâ iudicando confirmatam esse testatur *Sand. 3. tit. 13. def. 1.* Tertio, qui debitorem cum pecuniis fugientem persecutus apprehendit, eique debitum extorsit; nec possunt reliqui creditores ad restitutionem agere *l. 10. §. 16. ff. qua in fraud. cred.* requirit tamen *d. l. Ulpianus*, ut nummos extorserit, antequam creditores in possessionem mitterentur: cui contradicit Scævola *in l. 24. eod.* Verum facilè *Ulp.* cum Scævola conciliandus est: cum verba Scævolæ *in d. l. 24. si in eo esset, ut bona debitoris mei venirent:* sint intelligenda non quasi significantia missionem jam factam, sed futuram: significat enim Scæv.

adeo

adeo inopem & ob æratum fuisse debitorem, ut jam mente  
 revolveret, jamjam venturos & reliquos creditores, & bono-  
 rum possessionem petituos. *Math. de autt. 1. cap. 20. n. 20.*  
 Quartò excipiuntur creditores, qui separationem bonorum  
 hereditariorum a bonis heredis impetrarunt, qui quantum  
 ad bona hereditaria creditoribus heredis præferuntur. *l. 1. §.*  
*1. seqq. C. tot. iij. ff. separat. bon.*

## C O R O L L A R I A.

- I. *An inter verbis conjunctos locum habeat jus accrescendi? Eli-  
 ge.*
- II. *Mandatarius tenetur de culpâ levissimâ: ob culpam tamen le-  
 vissimam non fit infamis.*
- III. *Bona fidei possessor lucratur fructus tam naturales, quam  
 industriales.*
- IV. *In obligatione alternativâ, utsi debeatur Stichus vel Phamphilus,  
 electio est debitoris: sed alterutro moruo alter debetur.*
- V. *Liberi in conditione positi non censentur vocati ex testamento.*
- VI. *Nuptiæ sine consensu patris contractæ non subsistunt, nequidem  
 copulâ subsequatâ: Canones tamen contrarium statuunt.*
- VII. *Debitum naturale compensari potest: non species cum specie,  
 aut species cum quantitate.*
- VIII. *Condictio furtiva datur contra heredem in solidum.*

F I N I S.

C

DOC-



D. GUILIELMO van SCHAICK,

Artium magistro dum in inclytâ Academiâ Ul-  
trajectinâ J. U. laurea insigniretur.

**J**Unge triumphales currus ; præconiâ funde  
Musa, fave metris, blanda Thiala, tuis.  
EnGuilielmus adest redemitus tempora lauro  
Juris & ascendit pulpita : doctor ovat  
Quam bene! nam luxit teneris crescentibus annis  
Virtus : in exiguo corpore quanta fuit?  
Scilicet invidit tibi nil natura Wilhelme  
Dum tibi, quod reliquis invidet, illa dedit.  
Parvus eras, memini, modo serpserrat hædera lauro  
Alter eras Naso : Tullius alter eras.  
Nempe Brabantinæ finxerunt pectus Athænæ:  
Teque suum voluit philosophia decus.  
Sic juvat a tenero veterum pervolvere libros :  
Sive tuos Tulli, sive Lucane tuos.  
Non tamen hic modus est ; sophicis egressus arenis  
Victor, jura petis: te mage jura petunt.  
Quid poteras melius patriæ spes altera nostræ,  
Juris amor, proavum gloria, gentis honos.  
Aspice Trajectum quem post tua sæcula laudes:  
Aspice delicias justiniane tuas.  
Quid super est aliud, nisi votis addere vota  
Ut que feras patriæ commoda multa precor  
Vincat amor patriæ, iustique immensa cupido.  
Hic scopus, hæc studiis sit Cynosyra tuis.

HENRICUS SPOOR,

S. T. B. & Philisopha. Doctor.



DOCTISSIMO DOMINO

D. GUILIELMO van SCHAICK,

Artium magistro dum in inclytâ Academiâ Ul-  
trajectinâ J. U. laurea insigniretur.



*Ella virosque canit Maro: mavorte  
tremendum*

*Exhibet Hannibalem Polybius arma  
tonantes*

*Pompejos Livius. tamen hos tua fata  
manebant*

*Parca. Rhadamanthi regnum subiere. letheis  
Involvuntur aquis pariter. monumenta Minervæ  
Inconcussa stabunt: laudes pariuntque perennes.  
Has Guilielmus habet nulli virtute secundus  
Ingenii: juris decus immortale, delebit.  
Tempus edax rerum nunquam tua facta: superstes  
Aspiciet monumenta tui solidissima sæclum  
Judicii. claræ crescent quoque nomina laudis  
Vivendo post fata licet super æthera notus  
Pulpita doctorum scandes. Saturnia cernet  
Sæcula Trajectum, doctorum antiqua virorum  
Heroumque parens. Musis celebrabere: janua  
Te Guilielme suam cognoscent tempora dicent  
Digna cedo tua gesta tuos tua facta docebunt  
Cives. Sic Guilielmus erit post fata superstes.  
Quid mirum Guilielme sapiis: penetralia juris  
Abdita perfringis! dum te miratur Apollo.*

HENRICUS SPOOR,

*Philosoph. Doctor.*



DOCTISSIMO ORNATISSIMOQUE

DOMINO

D. GUILIELMO van SCHAICK,

Art. M. post disputationem inauguralem de prælatione  
& concursu creditorum felicissimè per actam;

J. U. lauream reportanti.



Ustrabat zelosa Themis sua castra scholasque  
Nuper, perpendens quis sibi vota daret,  
Qui sub laurigero cupiens bellare sigillo,  
Inclita juridicæ quæreret arma togæ.  
Undiquè constringunt, inquit, me bella togata,  
Mequè, molesta nimis lis, sine fine premit.  
Hinc de *Vendendis*, hinc de *solvendo* rogatur,  
De *re possessâ* litigat omne forum.  
Nec satis, at rursus lis altera, lite recisâ,  
De *credendo* redit; quis mihi præstet opem!  
Dixerat: en divæ stimulo zeloque citatus  
Protinus accurrit dans sua vota SCHAICK.  
Ut Themis hunc vidit pede pernice currere, dixit,  
Tu mihi decisor, tuque patronus eris.  
Nec mirum, Vir docte, tibi nam lingua diserta est,  
Et jurisprudentis non sine jure datum est.  
Hinc nam diva Themis flexit sua colla, sedile  
Ascende, est meritò palma parata tibi.  
Juridicâ, hic studii fructus, cingâre coronâ,  
Et grato applausu personet omne forum;  
Vestra per immensas ut eant præconia gentes,  
Famaque & ad superos non moritura volet.

H. DE WEERDT.